



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Rigobertus Ep. 4. Ian.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

4. Ian. VITÆ SANCTORUM. 17  
nuntios. Apud Reges quoque Childericum & Clodoveum tantum potuit, ut à morte virgo absolveret, quos iudices damnarent. Sed parum hoc est, quando idem apud DEUM potuit, & lectulo damnatos ægros passim à morbis absoluit. Quid? quòd quem abstulerat jam, imperio GENOVEFÆ puerum mors reddidit; credo ut ne deesset, qui virginem Matrem clamaret. *Ex Sur. & Lippel.*

*Per Baptismatis Sacramentum Spiritus S. factus es templum: noli tantum habitantorem pravis de te actibus effugare, & Diaboli te iterum subicere servituti, quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te iudicabit, qui misericorditer te redemit. S. Leo serm. 1. de Nat. Christ.*

S. RIGOBERTUS EP. 4. Ian.

**D**iscite, qui alienam nobilitatem non aliter ac hereditatem aditis, amplius etiam vestrà operâ hanc condecorare; inò domi vestrà hoc est, apud animum vestrum veram nobilitatem quærere. Nos eâ in re doctorem ecce vobis RIGOBERTUM suggerimus: hic gentis suæ splendorem literis, literas pietate illustravit: hanc Rhemenses infulâ ornarunt: ille iterum hanc multis magnisque virtutibus, velut gemmis distinxit. Sacerdotes primus id loci in unum coëgit,

B

re-

reditusque, de quibus viverent, communes fecit. Familiariter Magistro equitum Pipino est usus, qui xediolis, quæ Divus redeunti à venatione missitabat, multum delectatus terræ tantum aliquando concessit, quantum RIGOBERTUS, dum ipse dormiret, ambulando potuit circumscribere. Ab eo tempore nusquam alibi vel campi, vel agri lætius ridere, ridentibus nusquam mitius cælum arridere. Aurea tempora & æternum ver diceres. Sed & filium Pipini Carolum (ab animo Martio Martellum post dictum) sacra fonti admovit RIGOBERTUS. At Carolus ingratus, quòd urbem Rhemensem dolo aggressus non admissus esset, apertâ vi post fratrem debellatum ingressus, Pontificem sede exegit. Tulit æquo animo exilium, nec multò post ad Pipini dona reversus, vitam sanctissimè exegit. Ad tumulum nocte concubiâ lux ingens visa, & voces è cælo auditæ, multum humanâ suaviores. At nos si nunquam has audimus, quid miri obsecro est, quando cælo aures claudimus? *Ex Surie.*

*Si tibi suggeratur in futurum tempus differre bonum propositum, consurge & dic. Dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet. Si gula deserviens lautiores tibi commendaverit apparatus recalcitra & dic, Non est Dei Regnum esca & potus. S. Petrus Dam. in Pf. 57.*

S. SIMEON